

*Quis poterit cogitare quid velit Dominus?*

Léctio libri Sapiéntiæ

9, 13-18 (gr. 13-18b)

- <sup>13</sup> **Q**uis hóminum póterit scire consílium Dei?  
Aut quis póterit cogitáre quid velit Dóminus?
- <sup>14</sup> Cogitatiónes enim mortálium tímidae,  
et incértæ providéntiæ nostræ:
- <sup>15</sup> corpus enim, quod corrúmpitur, ággravat ánimam,  
et terréna inhabitátió  
déprimit sensum multa cogitántem.
- <sup>16</sup> Et difficile conícimus, quæ in terra sunt,  
et, quæ in prospéctu sunt, invénimus cum labóre;  
quæ autem in cælis sunt, quis investigábit?
- <sup>17</sup> Consílium autem tuum quis sciet,  
nisi tu déderis sapiéntiam  
et míseris spíritum sanctum tuum de altíssimis?
- <sup>18</sup> Et sic corréctæ sunt sémitæ eórum, qui sunt in terris;  
et, quæ tibi placent, didícerunt hómines  
et salváti per sapiéntiam sunt.

Verbum Dómini.